34-5-1-17

9
107

EMINENTISS. AC REVERENDISS. PRINCIPI

BENEDICTO ODESCALCO

S. R. E. CARDINALI.

IACOBVS COLVMBINVS, ET ANTONIVS RENA

F. P. &c.

BIBLIOTECA NAZ. VITT. EMANUELE

VEL ambiunt, vel amant PVRPVRAM NIVES, quæ, Plinio teſte, DIVTVRNITATE RVBESCVNT. Quid igitur mirum,

Digitized by Google

ſi Niues illæ, quæ ad Exquilini Templi perennitatem non ſolùm diuturnæ, ſed æternæ futuræ ſunt, ad Purpuram tuam, Princeps Eminentiſsime, confugiant? Confugiunt ſanè; non vt in Romano Colle ſibi ſedem ſtabiliant, vbi ſub Magnæ Virginis vmbra tutiſsimæ conquieſcunt: ſed vt in breuibus hiſce pagellis ne quantocyus liqueſiant, & euaneſcant. Paratiſsimum Patronum te naƈtæ ſunt; quippè & loco, & animo Virginearum Niuiũ ſodalitio adiunƈtiſsimum. Nomine tuo, non niſi BENE nobis ominaris: neque DICTA tan-

Digitized by Google

tùm, ſed facta à tam potenti Patrocinio ſperamus; dummodo Tu, conſueta Tibi benignitate, qualecunque hoc pietatis Noſtræ munuſculum, CANDIDIDISSIMI certè cordis obſequium, reſpicias, probes, ſuſcipias, &c.

Digitized by Google

ORATIO.

NOuis auſpicijs; noua, ac ſuperioribus ſæculis inſueta materie; nouo denique opificio Magnæ Virgini in Exquilino Monte Templum debetur (Eminentiſſime Princeps) Reuera hìc

In tenui labor; at tenuis non gloria.

Quid enim? Marmora fortaſſe è Paro, aut Thebis, vel æra Corintho; aut ab Indis aurum, gemmasquè expectatis, AA? Expectetis etiam licèt Hermogenem aliquem, aut Dinocratem, qui tantæ moli fundandæ, atque educendæ præſideat, & obſtetricem quodammodo dexteram admoueat. Verùm quid ego Vos ſuſpenſos detineo? Totus in Niue labor. In Niue denique deſudandum. Et mirabamini Ædibus olim Mineruæ Eleæ tectorium ex lacte, crocoque ſubactum à Pannæo Phidiæ fra-

ere inductum fuiſſe? Mollius Mariano Sacrario in Exquilijs induci admiramini. 104

Non dubium tamen, quin in totius Orbis Diuæ honores, vbi illa ſe in Vrbe Templum ambire ſignificauit, pia quadam conſpiratione, quantumuis inter ſe diſcordia, elementa vniuerſa coniurauerint. Credo equidem quicquid æris, aut auri, quicquid marmoris, aut ligni egregij vſpiam progignit, vel fouet, Tellurem vltrò in Exquilias ad Reginæ Virginis obſequia contuliſſe. Nec ſegniori famulatu, & Oceanum cum fluminibus ingentem pretioſiſſimorum vnionum, gemmarumque copiam; & Æthram, vel flammantes pyropos, quorum ſe auctorem nomine ipſo demonſtrat, vel perpetuò ad thura adolenda arſuras prunas depromſiſſe. *Ex hiſtoriis* enim accepimus, Iuſtinianum Cæſarem, cum D. O. M. Ædem Conſtantinopoli ſtatuere decreuiſſet, quæ ſæculis omnibus eſſet admiranda; quà literis, quà nunciis miſſis, a ſingulis Terrarum Orbis prouincijs, quicquid rari, ac pretioſi in iiſdem reperiretur, ad illius ſtructuram, & ornatum comportandum curaſſe. Quamobrem ſeptennii interuallo omnium gentium opes in vnius Templi opus confluxêre. Idem prope contigiſſet hìc, AA, ſi Virgo vel annuiſſet, vel minimè abnuiſſet.

Verùm illa cæterorum Elementorum munera non ingrato vultu recuſans, Aeris vnius obſequium libenter admiſit. Niuem inter caniculares æſtus,

in illo prodigioſè genitam; atque intempeſtæ Noctis ſilentio in Exquilini Collis ſumma delapſam, Nouæ moli auſpicium, materiem, ornamentum eſſe voluit. Quid ita tandem? Quid putatis, AA? An quia Virginem non niſi ſedes vndequaque candida decebat? An verò, quia, cum amicus ſuperis albus color ſit, Niue meliùs, quàm auro eorumdem Templa refulgent?

Ego verò, & illud prima facie opinabar; quemadmodum virilibus Diis, qui virtute ſupra cæteros pollebant, Dorico tantùm opere, ab omni ſcilicet luxu, deliciiſquè remoto, vt Vitruuius aſſerit, ſedes erigebantur: ità in Ædibus ſuis Niuium rigorem, atque auſteritatem fortiſſimam Viraginem adamauiſſe. Sed cur ego ſuperſtitioſos profanæ gentis ritus, vel memoria recolam, vel oratione attingam? An non verius dixerim, Cœlorum, Terrarumque Reginam Templi ſui perennitati Niuibus illis conſulere voluiſſe? Neſcio vndènam euenerit, AA, vt aliqua delubra celeberrima igne tandem, incendioque abſumpta ſint. Capitolini Iouis Fanum quinquies factum tectum, quinquies vel fulmine, vel flamma penitus corruit. Mineruæ, ac Pithus ædes Sicyone, Iunonis Mycenis, Dianæ Epheſi, incendiis ſubitis periere. Illud ipſum auguſtiſſimum, ac ſacratiſſimum Hieroſolymitanæ Vrbis Templum primò ſub Chaldæis, poſtremò ſub Romanis Principibus, flammis iniectis, inter fu-

mum,

Digitized by Google

mum, ac cineres funus ſortitum eſt. Hanc ſcilicet Ignis, qui intra Templa, atque inter Aras opimis Hoſtiis nutritur, & ſuſtentatur, hoſpitio gratiam rependere conſueuit: vt non immeritò Hetruſci Aruſpices Vulcani Fanum à cæteris delubris remotum, extra Vrbis mœnia ſitum eſſe voluerint. Infauſtis porrò auſpiciis Epheſini illius Templi, quod inter ſeptem Orbis miracula primum cenſebatur, cum paluſtri, humentique in ſolo conderetur, fundamentis carbones ſubiecti ſunt; vt quod Aqua ab incendiis tutari potuiſſet, Heroſtrati audacia facibus armata concremaret.

Nihil tale Exquilino Templo timendum, quod non atro carbone, ſed candidiſſima Niue fundatum, atque extructum à qualibet flammarum iniuria ſeſe facillimè tuebitur. Neque verò eſt, quòd fulminis vim vllam pertimeſcat, cum; ningente Cœlo, fulmina Cœlo exulare compertum ſit.

Vides tamen, quid tandem nos in ſolicitudinem adducere, atque, vt Exquilino ſacrario timeamus, compellere poſſit. Niuis videlicet æſtiuæ fragilitas. Nam hyberna, ſi fides Euſtathio adhibenda eſt, frigidis in locis ſepè in Cryſtallum concreſcit. Timor prorſus inanis. Nec Plinij illud memini-
„ ſtis, AA: ſeruatur algor æſtibus; excogitaturque,
„ vt alienis menſibus Nix algeat. Didicerunt ni-
„ mirum Romani, inquit Seneca, monſtrante luxu-
„ ria Niues ad Tempus æſtatis locis ſubterraneis

eu-

Digitized by Google

, cuſtodire ? Quod monſtrante luxuria Romani potuère; rerum omnium Domina, Virginitate monſtrante, non poſſit? Imò verò adamantinam conſtantiam, vel medias inter flammas, Niuibus illa ſuis impertietur; vt nullo vnquam tempore effluant, vel dilabantur. Nec verendum erit, ne Niues illæ vetuſtate rubeſcant, quod Naturæ Interpres ſecundus de communibus Niuibus aſſeruit; vel ex locis minio referctis vapore ſublato congenitæ, vt in Armenia contingit, rubræ vel in ipſo ortu appareant. Perpetuæ Virginis Templo perpetuæ Niues, perpetuus candor debetur. Id etiam Humani generis felicitati maximè conducet; nam eiuſdem Secundi aſſertu: Vota arborum, frugumque communia ſunt, Niues diuturnas ſedère.

D I X I.

Digitized by Google

CARMEN.

F *Allor; an hybernâ ſummo Niue candet in æſtu*
Exquillinus apex? Viſum contendite: quanta
Luce nitet! Nunquid Latias Saturnus in Vrbes
Rettulit imperium verſurus falce ſecures?
Aut rediuiuus adeſt, Auguſto Principe, Ianus?
Prò portenta Deum! Rerum, puto, vertitur ordo,
Inque Chaos retro-labens detexitur æuum.
Sed fallor, fallique iuuat. Nix omina ducit
Candida: Nix Vrbi fauſtum portendit, & Orbi.
Soluite corda meta gens fortunata Quirini:
Continuent Elementa fidem: ſed Virginis almæ
Pareat imperiis verſo Natura tenore.
Illa parens hominum, ſpes & fidiſſima rerum,
Aethere deſpiciens famulantia regna per Orbem,
Ad dominatrices Terrarum lumina ſedas,
Verterat, & Cælo iam proxima mænia Romæ.

Ver-

Digitized by Google

Verterat. At quamquam veteris veſtigia labis
Multa videt, Diuas ſcelerum contage pudendas,
Impietas quas delubris celebrarat, & aris:
Non tota tamen Vrbe locum, ſedemque ſacratam
Iam vera MARIÆ ſub relligione videre
Contigit. Hinc iuſto pectus commota dolore:
Sic mihi nullus adhuc ſacer eſt locus, inquit, in Vrbe,
Hoſpitium nullum? Pietas quò Romula ceſſit?
Mille ſuperſtitio, raptas à fornice, Templis
Intulerit ſcelerata Deas errore nefando,
Iunones, Veneres, Floras, Phariaſque Iuuencas,
Carmentas, Cybeles: (pudor eſt percurrere cunctas)
Et mihi, cui cingunt dotalia ſidera frontem,
Sub pedibuſque rubet calcato Cynthia cornu:
Cui domus Aligerum famulique palatia Cæli
Reginæ patuere ſuæ: cui ponere Templa
Fas erat ob genitum Numen ſine labe pudoris,
Templa æterna ſolo ſoli: Mihi nulla Quirites
Condiderint; Pietas nullum Romana ſacrarit
Hactenus; atque aris meritos cumularit honores?
An grauis ipſa fui, ſcelerumque futura repertrix,
Non magis optatam cunctis latura ſalutem?
Sed quid ego hæc vltra verbis queror? aurea ſaxo
Protinus Aſtra petat ſublimi vertice moles.
Nam quamquam magnum Terrarum magna per Orbẽ
Templa mihi haud deſunt, illis tamen omnibus vnum
Prætulerim, quod Roma meo de nomine habebit.
Quare agitè ò rerum iuſtis Elementa fauete

Iam Dominæ votis : veſtrò mihi munere Templum
Aſſurgat reuerendum, ingens, ſublime per auras,
Vrbem, colle ſedens, quà proſpicit Exquillinus.
Dixerat, & ſubitò Diuæ, velut agmine facto,
Quattuor ante oculos concordia ſemina rerum
Se ſtatuère. Prior Tellus, cui floribus ornat
Texta corona caput, viridis circumdat amictus,
Munera, Deliacum marmor, flauumque metallum
Expoſuit; variasque ſinu pulcherrima gemmas
Protulit : ardenti permiſtum adamanta pyropo,
Sapphyrique decus, gratumque colore ſmaragdum.
Addidit & flores, & nexis laurea baccis,
Serta comis, ſyriumque ſuper congeſſit amomum,
Carmine cuncta notans. Terreſtria munera Tellus
Terrarum Dominæ delubris debita reddit.
At Mare cæruleo vaſtum velamine corpus
Indutum, nitidoque premens diademate frontem,
Purpureos latices, & ſparſa corallia rubro
Obtulit, & longos concharum aduexit Elenchos.
Et dixit: Magis hæc MARIAE debentur honori.
Tum prunis grauidam dextrâ produxit acerram
Reginæ ſtudiis ſolito flagrantior Ignis;
Thura quibus melius poſsent ardere Sabæa
Numinis æterni Genitrici : donaque ferret
Digna Deo, cui ſe dederat Deus ipſe ferendum.
Aer poſtremus MARIAE ſacrauit honores
Lucidus igne comas, ſuccinctus pectora nube,
Et triplici varians radiantia terga colore.

Ipſe

Digitized by Google

Ipſe humilis plenas Niuibus pro munere palmas
Attollens, Diuæ noto ſermone profatur.
Diua, decus Cæli, placido mea ſuſcipe vultu
Templis dona tuis. Sunt noſtris plurima regnis,
Sed tantùm tibi porto niues. Si condere Templum
Diua placet, quod ſit Romæ labentis aſylum,
Quoquè tuum niteat maiori Numine Nomen
Quid niſi dextra Niues donet? Non nubila lucem.
Ferre queunt, adimunt potius. Non fulmina gentes.
Alliciunt? magis exterrent. Dant fulgura lumen
Dulce micans, ſed triſte minans. Quo cuncta Cometæ
Sanguinei pallore replent? quàm magna trabalis
Eſt formido facis? quàm verò infauſta Draconum
Terga per immenſi ſinuantur iugera Cæli?
At ſi trado Niues, Niuea ſunt Virgine dignæ,
Et magè Templa decent niueo ſtatuenda Pudori.
Suſcipe Virgo Niues; & ſi Tu Candida tota es,
Candida ſint etiam, & Niuei tua Templa coloris.
Hæc ait, & feſſas iamdudum pondere palmas
Ante pedes Diua laxauit. At illa ſereno
Excepit vultu, & lætum in ſua regna remiſit.

FINE

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

L A V S D E O.

Digitized by Google